

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0392

0390

0396

0386

0401

redacta est, quae deserta dicitur Actor. VIII. Nova autem hodie insignis civitas Palaestinae est, in duplo major quam sit Jerusalem, populosa et pinguis. Unde vulgariter loquendo est fossa butyri, et omnia ad humanam vitam pertinentia sunt ibi in copia et bono foro. Tot ibi arbores sunt palmarum, quod civitas videtur jacere in silva. Domos habet luteas et miseras, sed muscheas et aestuaria valde pretiosa, non est muro cincta, sed turres multas et altas habet ab intra. Est civitas maritima, non tamen prope super litus sita, sed ad unum teutonicum milliare. Noctibus, quando omnia tenebant silentium, audivimus in nostra curia sonitum et maris rugitum. Multi mercatores in Gaza resident et coci plurimi, et est in ea mirabilis gentium commixtio diversarum. Plures sunt ibi Aethiopes, multi Arabes, Aegyptii et Syri, Indi et Christiani orientales, nulli Latini. Tempore ultimo Christianorum erat ibi bonus et honorabilis episcopatus. Ad commendationem vero hujus civitatis duo notavi. Primum, quod mihi non videtur, quod umquam locum vel civitatem viderim, in qua omnia sint in tam bono foro, quae homo desiderat, sicut in Gaza. Secundo homines sunt ibi pacifici, numquam enim molestiam intulerunt nobis aliquam, nec vexarunt nos, sicut in Rama et Joppen, et tamen per vicos et plateas cottidie cruce signati cucurrimus et cum eis tractatus habuimus sine omni molestia. Ego aliquotiens solus in albis incedens transivi longe a curia nostra et numquam unicum opprobriosum audivi. Verum hoc non omnibus peregrinis, qui ante nos ibi moram traxerant, accidit, sed ut legi in peregrinalibus, quidam ibi multum tribulati fuerant. Et tantum de hac civitate.

Consideratio trium ante deserti ingressum est hic prae-notanda, scilicet de asinis, camelis et de ipsa solitudine.

Antequam ingrediamur desertum, ut ipsa peregrinatio deserti clarius pateat, tria sunt praemittenda, de quibus continua mentio fit in sequentibus. Primum est descriptio

Ende

Anfang

